

in privatione conformitatis debitae inter voluntatem creatam et legem divinam reponunt.

Obi. 1. Malum actione positiva efficitur, timetur, punitur etc. Ergo est aliqua res positiva. Dist.: malum concretum (forma cum subiecto) actione positiva productur etc. — conc.; malum formaliter, subd.: per se — nego; per accidens — conc.

2. Atqui tunc mala, si nihil essent positivi, non possent in genera et species dividi; dist.: ratione perfectionis positivae — conc.; ratione subiecti et finis — nego.

3. Atqui bonum et malum contrarie opponuntur ac proinde sunt sub eodem genere; dist.: concrete spectata — conc; formaliter — nego.)

Liber secundus: De ente praedicamentali.

Caput I: De substantia.

§ 1. De substantia in genere.

(1. *Notio:* Usque modo consideravimus ens eiusque status et attributa transcendentalia; nunc vero modi entis qui et quid sint, inquirendum est. Si entia existentia consideramus, facile intelligitur, posse primum distingui *entia in se vel per se* et *entia in alio*. Videmus enim res in rerum natura existentes non solum inter se distinctas et in se ipsis qualitatibus quibusdam determinatas, sed etiam quoad illas determinationes saepe mutari, quin tamen prorsus pereant vel ex toto existere incipient, sed ita ut in omni mutatione aliquid physice idem permaneat. Sic videmus, marmor idem permanens diversas posse recipere formas; videmus arbores virescere, florere, crescere etc., ita tamen ut arbor eadem semper habeatur. Sentimus in nobis ipsis multos oriri et praeterire actus sentiendi, cogitandi, volendi, nos crescere et senescere, ita tamen ut subiectum, in quo fiunt illae mutationes, physice, non solum moraliter, permaneat¹⁾.) Atque id quod permanet in omni mutatione, vocamus *substantiam*, quod autem accedit et recedit in mutatione, re per essentiam suam eadem permanente, vocatur *accidens*.²⁾ Hoc igitur modo efformamus primo conceptum directum substantiae et accidentis, licet imperfectum.

2. *Natura substantiae:* (Si conceptus primitivus substantiae mentis reflexione investigatur, duo in ipso elementa praesertim inveniuntur³⁾: a) *Subsistens*, qua res est in se (*καθ' αὐτό*), non in

¹⁾ Arist. Categ. 5: κοινὸν δὲ κατὰ πάσης οὐσίας τὸ μὴ ἐν ὑποκείμενῳ εἶναι.

²⁾ ὁν κατὰ συμβεβηκός, l. c. ³⁾ Aristoteles, Metaph. I. VII et VIII. Philos. Jhrb. 1904, p. 113 sq. Suarez, Disp. metaph. 32, sect. 1, 2.

alio subiecto existens, et sic formaliter opponitur accidenti, quod non est in se, sed in subiecto; b) *substantia*, qua hic et nunc est subiectum accidentium (ὑποκείμενον). Iam vero patet, primum elementum esse rationem *formalem* et *universalem* substantiae, quia supponitur ab altero; nisi enim quidquam esset in se subsistens, non possent alia esse in eo accidentia. Deinde possent esse substantiae, in quibus nullum esset accidentis, neque ulla mutatio; immo existit divina substantia, in qua nullum potest esse accidentis, quae tamen in se subsistit. Propterea ratio *formalis* substantiae est in eo, ut sit *per se*¹⁾; ratio vero *formalis* accidentis, ut sit *in alio*. Neque igitur ad *formalem* rationem omnis substantiae pertinet, ut sit vel possit esse subiectum accidentium, alioquin Deus non esset substantia; neque requiritur, ut sit prorsus in se immutabilis, indeficiens vel independens; secus enim ratio substantiae in rebus creatis negaretur. Neque requiritur, ut substantia actualiter per se subsistat, i. e. ne sit communicata alteri; alias enim humana in Christo natura non esset substantia, neque manus vel pes in homine; sed sufficit, ut possit *naturaliter* per se subsistere. Unde substantia per se naturam ipsam rei significat, ad eamque addit rationem *persestatis* (In und für sich Sein).

(3. *Proprietates substantiae:* Substantia quatuor potissimum habet proprietates, per quas primo cognoscitur et una ab altera distinguitur: *unitatem*, *permanentiam*, *facultatem operandi* et *patiendi*. Prima proprietas substantiam absolute i. e. in se ipsa determinat quoad eius formalem rationem *persestatis*. Secunda eam determinat relative quoad accidentia, quorum est subiectum; tertia eam determinat quoad activitatem tum *intrinsecam* tum *extrinsecam*; quarta eam determinat quoad activitatem aliarum rerum, quarum influxum patitur. a) *Unitas* substantiae in eo est, ut sit in se indivisa i. e. non constet ex pluribus iterum substantiis, quae non ad *unum naturale per se* efficiendum ordinentur. Ideo lapides, etiamsi iuxta ponantur, immo ferro vel calce simul ad domum construendam iungantur, non constituant unam substantiam, sed singuli lapides sunt substantiae. Sic oxygenium et hydrogenium possunt per quolibet tempus in eodem spatio inesse, non tamen unam substantiam constituant, nisi scintillā electricā excitata, aquam formant, i. e. substantiam naturalem per se unam; sic aer constat ex multis substantiis, unitatem naturalem non efficientibus. Organismus autem, e. g. arbor, brutum vel etiam corpus humanum, licet ex multis partibus substantialibus constent, est substantia in se una, quia omnes partes a *natura* ad invicem ordinantur ita, ut mutuo sese intrinsecus perficiant et *unum per se naturale* constituant; et si a toto separantur, amittunt perfectionem suam specificam. Non vero requiritur ad unitatem substantiae, ut sit simplex, i. e. ut non constet ex partibus sive essentialibus (e. g. homo ex corpore et anima) sive integrantibus (e. g. corpus ex membris suis); alioquin non possent esse substantiae corporeae, vel elementi materiali compositae. Neque requiritur certus gradus firmitatis, quo in sub-

¹⁾ August. de Trinit. VII, 4 n. 9.

stantia composita partes substantiales cohaerent; nam lapides in domo calce vel ferro coniuncti certe firmius cohaerent, quam partes herbae alicuius, non tamen substantiam per se unam constituunt. Effectus autem formalis huius unitatis substantiae est, ut sit subiectum commune diversarum qualitatum, quae in eadem substantia *simul* esse possunt, e. g. corpus et anima nostra subiectum *commune* et *simultaneum* actus videndi, intelligendi, volendi, tangendi, deambulandi etc., pomum subiectum commune et simultaneum certae extensionis, resistantiae, coloris, saporis, odoris etc.

b) *Permanentia* substantiae in eo est, ut sit subiectum physice idem in mutatione *successiva* qualitatum vel actuum, e. g. homo quoad substantiam idem, qui nunc sedet, postquam deambulavit; aqua nunc frigida, quae antea erat calida. Ex hac permanentia praecipue ratio substantiae cognoscitur et ab accidentibus distinguitur. Non autem requiritur permanentia absoluta, quae excludat omnem mutationem sive externam sive internam; secus enim substantiae finitae et createae nullae esse possent, sed sola substantia infinita, prorsus immutabilis; sed sufficit, ut habeat *relativam* permanentiam, i. e. in quantum comparatur cum accidentibus, quae eam supponunt, neque sine ea existere possunt. Immo possunt esse accidentia, quae eandem habent perdurationem cum substantia, e. g. intellectus et voluntas in homine, vires in corporibus atomicae et moleculares chimicae, sine quibus corpora esse non possunt. Sed accidentia hanc permanentiam non habent ex se, sed per substantiam, in et cum ea. Etiamsi esset substantia, quae solum unum momentum existeret, esset tamen vera substantia, quia ratio formalis substantiae non est eius permanentia, ut post Kant plerique falso asserunt, sed eius *perseitas*, quae est fundamentum permanentiae. Haec autem substantiae permanentia est fundamentum eius activitatis ac proinde omnis causalitatis.

c) *Capacitas agendi* (Wirkungsfähigkeit). Substantia enim non est conceptio tanquam subiectum iners et inane qualitatum suarum et mutationum, sed tanquam earum *causa efficiens*, primum ex essentia sua per modum emanationis emittens potentias suas atque vires naturales, quibus activitatem sibi connaturalem exercere possit. Sic corpora anorganica ex natura sua specifica producunt vires chimicas, quibus nova corpora cum aliis constitueri possint; vires physicas, quibus corporum extensio, firmitas, status aggregationis, pondus specificum, facultas absorbendi et emittendi calorem (latente Wärme), absorbendi, reflectendi, polarisandi lucem etc. efficitur. Sic corpora organica ex natura sua specifica facultates producunt vegetandi, sentiendi; sic ex anima nostra rationali emanant necessario facultates intelligendi et volendi. Deinde substantia in et cum suis facultatibus est etiam causa efficiens omnium proprietatum mere accidentalium et activitatis; actiones enim sunt suppositorum; neque ulla concipi potest proprietas sive actio, quae ultime non sit ullius substantiae tamquam subiecti et principii agentis. Sic in rebus anorganicis attractio tum atomica tum molecularis in ipsis corporibus, cohaesio et adhaesio eorum partium, formae crystallinae, phaenomena caloris, lucis, coloris, electricitatis, magnetismi etc., quibus tota rerum visibilium fundatur ordo, pulchritudo, mutatio, utilitas pro nobis, sunt tandem effectus substantiarum earumque virium. Sie in rebus organicis nutritio, angmen-

tatio, generatio, mirus ordo rerum organicarum earumque pulchritudo et utilitas est effectus ipsarum substantiarum. Sic substantia animae nostrae per suas potentias producit actus illos nobis immanentes intelligendi et volendi, quibus ordo logicus (scientiae et artes) et moralis tum in vita singulorum, tum in familia, civitate, humanitate constituitur. Denique substantia est etiam *causa finalis* omnium illarum qualitatum et actionum; nam qualitas ex se ordinata est ad subiectum suum sive quoad esse sive quoad operandum perficiendum, ut patet ex exemplis modo propositis; per actionem autem quodvis principium operans bonum sibi procurare nititur, unde ad eius perfectionem sive specificam sive individualem omnis actio ordinatur, ut ex natura rei et experientia quotidiana appareat. (Cfr. supra p. 448 sq.)

d) *Capacitas patiendi* (Leidens-Aufnahme-Fähigkeit). Res enim mutuo agunt, quod supponit, omnem rem posse esse terminum actionis alterius eiusque influxum in se recipere i. e. pati. *Atqui* subiectum saltem ultimum, activitatem hanc in se recipiens, debet esse substantia. Ergo haec capacitas patiendi substantiae naturaliter convenit. — Et certe, vires chimicae et physicae supponunt, vel alia corpora vel partes eiusdem corporis recipere mutuum influxum; secus nulla in rerum natura posset esse mutatio; non intelligeretur lex enertiae, neque lex aequivalentiae et constantis energiae, quae sunt fundamentales in scientia physica. Immo etiam in rebus viventibus haec potentia passiva est statuenda; alioquin nullum obiectum posset nos determinare ad sentiendum, intelligendum, vel etiam voluntatem nostram, quamvis liberam, aliquomodo sponte movere. Hoc igitur modo omnis substantia saltem creata et finita est etiam aliquo modo *causa materialis* in omni activitate et mutatione, quod maxime appetit in mutatione mere externa, quando corpora mechanice i. e. localiter moventur (e. g. cursus, globus projectus), vel formam externam recipiunt (e. g. cera diverso modo formabilis; marmor formam statuae recipiens).

Substantia igitur nullo modo est subiectum iners et inane, sed causa ultima, principium „quod“ omnis activitatis rerum, unde simul cum conceptu substantiae formatur conceptus causae; neque enim est causa, quae non ultime sit substantia, neque est substantia, quae non sit principium aliquod operandi. Quum autem actus ipsi, immo probabiliter etiam vires, ex quibus actus immediate oriuntur, ab ipsa substantia realiter differant, ut infra ostendemus, patet, haec accidentia actuum et potentiarum posse mutari, quin tamen ipsa substantia intrinsecus alia fiat.

4. *Definitiones falsae*: Falsa igitur est definitio Cartesii¹⁾: „Substantia est res, quae nulla re indiget ad existendum“; tunc enim solus Deus esset substantia; vel Spinozae († 1671): „Substantia est, quod in se et per se concipitur“, cum illud „in se et per se“ in eius sensu non solum excludat subiectum inhaesionis, sed etiam causam extrinsecam; tunc iterum nulla esset substantia nisi divina. Quem errorem Pantheisticum denuo inducit Cousin († 1867), definiens „substantiam id, quod nihil aliud in ordine existendi supponit.“ Neque Leibnitzii († 1716) definitio est probanda, substantiam esse

¹⁾ Cfr. Philos. Jahrb. 1893: Ludewig, Substanzbegriff bei Cartesius, p. 61 et 273; ibid. 1904 Baur, Substanzbegriff u. Actualitätsphilosophie.

ens vi agendi praeditum; nam facultas operandi ipsa est proprietas et supponit substantiam; deinde vis agendi in sententia Leibnitzi non est nisi immanens percipiendi et appetendi, quare non essent nisi substantiae (monades) spirituales.¹⁾ Neque recte ratio formalis substantiae in simplicitate vel immutabilitate et absoluta permanentia cum Kantio, Herbartio, Wundt, Helmholtz et aliis ponitur.²⁾ Neque a fortiori cum Sensistis et Positivistis definiri potest summa qualitatum vel relationum, quippe quae substantiam iam supponant.

5. *Divisio substantiae*: Substantia dividitur: a) *analogice*: in *absolutam*, quae est per se et *a se*, infinite perfecta, immutabilis, non subiectum accidentium; *relativam*, quae est quidem per se subsistens, non tamen *a se*, finita, mutabilis, subiectum accidentium; b) ratione *status in primam et secundam*; *primam* vocat Aristoteles illam, quam Plato secundam vocaverat: *singularem, existentem*, quae neque inest in subiecto, neque de subiecto praedicatur, sed de qua omnia praedicantur, e. g. Petrus. *Secunda substantia*, quam Plato, ideas rerum exemplares per se existentes statuens, primam vocaverat, est natura per intellectum abstracta, quae quidem non inest in subiecto, sed praedicatur de subiecto³⁾: Petrus est *homo*. Accidens potest quidem esse subiectum (logicum) attributionis, licet non ultimum, non autem subiectum (reale) inhaesionis.

c) Ratione *compositionis*: est *simplex*, quae non constat partibus physicis, e. g. anima; et vocatur *spiritualis*, si est intrinsecus independens a materia; *composita*, quae partibus physicis constat vel essentialibus, e. g. homo; vel integrantibus, e. g. crystallum, corpus humanum.

d) Ratione *perfectionis* est *completa* (simplicem sive compositam), quae ex se non est ordinata ad essentiam integrum constituendam; vel *incompleta*, quae ex se ordinatur ad naturam integrum constituendam, e. g. anima vel corpus vel aliquod eius membrum; et est *subsistens*, si etiam sine parte altera potest esse, licet non perfecte, e. g. anima humana; *non-subsistens*, si in se sola nullo modo esse potest, e. g. anima belluina.

¹⁾ Cfr. Revue Néo-Scolastique, 1900, p. 32 sq.: Piat „La Substance d'après Leibniz.“ — Neque satis caute loquitur Müller, System der Philosophie (p. 111), oppugnans Hume, Berkeley et Mill, qui substantiam in summa quadam proprietatum vel in earum coexistentia reponunt: „Der Charakter der Sodalität, Selbständigkeit, Widerstandsfähigkeit, welcher macht, dass zwei Dinge nicht in *einem* Raume existieren können. Gerade darin aber bewährt sich die eigentliche *Dinghaftigkeit*.“ Quodsi esset formalis ratio substantiae, Deus ubique praesens, anima in toto corpore praesens non essent substantiae, neque posset fieri compenetratio corporum, nisi substantia deleta.

²⁾ Cfr. Pesch, Inst. log. II, 2, p. 251 et 260; Gutberlet, Der Kampf um die Seele, 1903², I, p. 94 sq. Idem dicendum est de definitione Galuppii: „Substantia est subiectum perdurans accidentium.“ ³⁾ Arist. Categor. 5. Metaph. IV, 8.

(6. *Axiomata de substantia*: a) *substantia prima et completa non habet contrarium*, quia in se subsistit, non in subiecto, a quo per contrarium excludi posset. b) *Substantia non recipit plus et minus*, si ipsa species attenditur, non vero eius *perfectio*; nam ratio substantiae qua talis in individuo posita est. c) *Substantia est subiectum contrariorum*, quia idem subiectum plures affectiones contrarias, licet non sub eodem respectu, habere potest, e. g. lapis albus ex una parte et niger ex altera parte. d) *Substantia est prior accidente naturā et plerumque etiam tempore*, non autem in nostra cognitione, nisi sit cognitio adaequata. — Tres potissimum quaestiones nobis hic resolvendae sunt: a) Conceptus substantiae estne obiectivus; b) numquid immediate formatur i. e. estne conceptus primitivus; c) quot sunt substantiae? Atque hae quaestiones de substantia sunt pro tota philosophia omnino fundamentales¹⁾.)

Thesis XXIII: Conceptus substantiae est obiectivus, i. e. existit substantia.

(*St. qu. 1^o* Substantia in hac thesi intelligitur in genere res per se existens, neque refert, utrum sit subiectum accidentium necne. Deinde ad rationem substantiae pertinet, ut sit res per se una, non plures sive substantiae sive accidentia per accidens unita.

2^o Adversant nobis ex una parte *Sensistae*, qui non admittunt nisi accidentia, ut duce Heraclito (*πάντα ἥστι*) Locke²⁾ docet, „ideam substantiae reipsa nobis non aliud exhibere nisi complexum qualitatum sensu perceptarum“, ac proinde nos fingere rationem substantiae; quam sententiam restaurat Hume docens, conceptum substantiae esse ortum ex iterata perceptione simultanea plurium rerum et ex associatione perceptionum inde orta; Berkeley et Mill, esse coexistentiam attributorum; Kant vero docet esse formam mere subiectivam; moderni Positivistae, Actualistae vel negant omnem substantiam non admittentes nisi energiam in quodam puncto spatii consistens, ut Mach, Ostwald, Wahle, Willy etc., vel saltem negant, ut Panpsychistae, substantiam immaterialem animae dicentes, esse meram actuum successionem ac proinde „illusionem psychologicam“ (Wundt, Paulsen, Taine, Ribot, Jodl, Höffding, Ebbinghaus, Eisler, Külpe etc.³⁾).

¹⁾ Iure igitur E. v. Hartmann, Kategorienlehre p. 542: „Die ganze Geschichte der Philosophie ist, in ihrem tiefsten Kern betrachtet, ein Ringen um die Kategorie der Substantialität, wogegen das Ringen um andere Kategorien nur eine sekundäre Bedeutung hat.“

²⁾ De intellectu hum. I. II. c. 23; cfr. Geyser, Das philos. Gottesproblem p. 97 sq.

³⁾ Cfr. Gutberlet, Philos. Jahrb. 1898, p. 369 sq.: Der philosophische Parallelismus; ibid. 1904, p. 113 sq.: Baur, Substanzbegriff und Aktualitätsphilosophie. Pesch, Inst. log. II, 2, p. 251.

Ex altera parte nobis adversantur, qui nonnisi substantias esse affirmant, ac proinde accidentia realia negant, ut *Atomistae veteres*, *Pantheistae Eleatici*, *Cartesius*, *Herbart*, moderni *Materialistae*, vel qui unam solam substantiam esse dicunt, sive materialem ut *Materialistae*, *Darwinistae*, *Hylozoistae*, sive immateriale, ut *Pantheistae*: *Spinoza*, *Fichte*, *Schelling*, *Schopenhauer*, *E. v. Hartmann*, *Paulsen*; neenon *Günther*¹⁾, *Cudworth*, substantiam creatam materialem unam eandemque esse in omnibus rebus ad instar organismi docentes; denique et *Avicenna*, *Averrhoes*, qui intellectum in omnibus hominibus eundem esse contendunt.²⁾

Prob. 1. Ex rerum existentia: Si quid existit, existit substantia. *Atqui* existit aliquid. *Ergo* existit substantia.

Minor patet, neque ab ullo negatur; nam et sceptici admittunt saltem se esse et dubitare.

Prob. maior. Quidquid existit, aut in se existit, aut in alio. Si primum, admittitur substantia; sin alterum, illud aliud iterum vel in se vel in alio est; et ita procedendum erit in infinitum, ac proinde nihil existeret, nisi quid admittitur in se existens.³⁾

(2. *Ad hominem:* a) *Locke*, *Hume*, *Mill* etc. concedunt esse accidentia: qualitates et attributa. *Aqui* accidens ex natura sua requirit subiectum, cui accidat; est enim conceptus relativus, qui intrinsecus requirit substantiam, sicut medicina relationem ad hominis sanitatem dicit, neque sine illa relatione concipi potest. Immo relatio accidentis ad substantiam est intrinseca et essentialis, medicinae autem ad sanitatem hominis extrinseca et accidentalis. Similiter qualitates et attributa supponunt ens *quale*, cui aliquid tribuitur. — Neve dicas, posse se invicem sustentare, quum nullum accidens ex se habeat ne inchoatam quidem rationem subsistentiae, sicut neque corpora cadentia se invicem sustinere possunt, ne cadant. *Ergo* qualitates et attributa requirunt substantiam.

b) Saepe phaenomena simul percipiuntur et constanter apparent connexa, e. g. idem acervus lapidum, domus aliqua, machina ex multis partibus composita, stellae semper in eadem relatione locali a nobis perceptae; attamen minime illas res substantiam in se unam habemus. Nulla res sensibus appetit sine aliqua quantitate; hanc tamen nullo modo substantiam rerum dicimus. *Ergo* conceptus substantiae non formatur ex sola phaenomenorum coexistentia sive constanti perceptione. Idem dicendum est de constanti successione

¹⁾ Cfr. *Kleutgen*, *Philos. d. Vorzeit*, II, n. 640. ²⁾ Cfr. *Philos. Jahrb.* 1898, p. 325, ubi *Kramar* aetherem animam communem esse docet; idem *Haeckel*, l. c., p. 405, porro, „*Monismus*“, *Rede in Altenburg*, 1899, p. 33. ³⁾ Cfr. argumentum simile Aristotelis in *Categ.*, c. 5.

phaenomenorum. Percipimus enim saepe talem constantem successionem e. g. noctis et diei, solis et stellarum in coelo ex oriente ad occidens progredientium, curruum in via ferrea, sonorum in melodia notissima, colorum spectri; nemo tamen his phaenomenis unquam substantiam supponit.

c) Quicunque cum puris Actualistis, ut *Wundt* (cfr. supra. 312 nota), non admittunt nisi actus substantias tandem producentes („*substanzerzeugende Tätigkeiten*“), debent supponere actum, qui nullius sit subiecti ac proinde sine causa efficiente, qui igitur a se ipso sit, quod repugnat principio causalitatis et contradictionis. — Neque licet obicere, etiam nos habere Deum tanquam actum purissimum; nam a) hic agitur non de solo ente absoluto, sed de quavis re finita et contingenti; b) Deus, etsi habeatur actus purissimus, simul tamen habet substantia absoluta, aeterna, immutabilis.

3. *Ex natura conceptus* (contra Kant): Conceptus nostri saltem primitivi habent obiectivum valorem. *Atqui* conceptus substantiae est: a) omnino primitivus, quia percipimus res concrete, i. e. substantias affectas proprietatibus sensibilibus, e. g. arborem excelsam, non solum extensionem aliquam, nos ipsos sentientes, volentes, ambulantes etc.; b) est maxime fundamentalis, quia implicite in omni re naturali simil percipitur, e. g. homo = substantia rationalis; bestia = substantia sensitiva etc. Quodsi hic conceptus non esset obiectivus, omnes fere conceptus valore suo privarentur. *Ergo* conceptus substantiae non est vanum figmentum, neque forma pure subiectiva, sed habet valorem obiectivum.

4. *Ex experientia:* a) constat, in rerum natura esse multas et continuas mutationes ratione temporis, loci, externae apparentiae, e. g. arbores hieme et vere; homines pueri et senes. *Atqui* mutatio supponit rem *physice* eandem permanere tum in statu priore, tum in statu subsequente; secus esset creatio et productio ex nihilo.

b) Omnes distinguunt inter mutationem substantialem (combinatio chimica) et accidentalem (figura in lapide, ligni calefactio etc.). *Atqui* si nulla esset substantia, haec distinctio ridicula esset. *Ergo* mutationes tum substantiales tum accidentales supponunt substantiam.

5. *Ex testimonio conscientiae et quidem:* a) *ex conscientia actuali*: Nobis enim consciū sumus, nos hic et nunc distinctos esse ab actu aliquo praesente, eosdemque nos remanere et fore, etiamsi hic actus praeterierit, vel si alius adfuerit; deinde constat, nos eosdem saepe diversas simul habere affectiones tum corporis, tum animae interdum inter se oppositas, nosque eas inter se comparare, nos *simul* in diversis partibus corporis sentire. *Atqui* actus et

affectiones sunt prorsus diversae inter se et praetereunt, neque ut actus immanentes sunt invicem communicabiles, et si sunt sensitivi, non sunt in eadem parte corporis. Ergo non possunt esse principium identitatis actualis conscientiae; sed requiritur substantia aliqua eadem permanens tanquam subiectum omnium illarum affectionum.

b) *Ex conscientia habituali sive memoria:* Conscientia testatur, nos quoad essentiam eosdem numero nunc esse, qui fuimus heri, immo iam tempore iuventutis, neque solum moraliter, sed physice eosdem. Atqui hoc impossibile esset, si nulla esset substantia physice permanens in nobis; nam actus sunt praetereuntes, inter se essentialiter distincti, neque unquam idem numero potest redire, neque ullus actus potest omnes alios praeteritos in se continere tanquam *identicus illis*. Ergo conscientia habitualis requirit substantiam.

c) *Ex conscientia morali:* Constat, nos esse liberos ac proinde etiam responsabiles pro actibus nostris libere positis. Atqui si nulla esset substantia animae in nobis: 1º nullum liberum arbitrium posset esse, quia nullum esset principium, quod deliberaret et hunc prae illo actu eligeret; 2º nulla esset responsabilitas, quia actus *praeteriti* non iam existunt, ac proinde non sunt subiectum responsabile; actus autem *praesentes* non sunt causa suae existentiae, ac proinde non libere existunt, neque sunt responsabiles; 3º neque ulla esset memoria actus *praeteriti* boni vel mali, ut ex priore argumento patet. Ergo nulla esset conscientia moralis meriti sive demeriti, nisi saltem anima substantialis admittitur.

6. *Ex absurdis:* Si nulla esset substantia, sed solum actus sibi succedentes: a) nulla esset mutatio, sed creatio, neque esset discri-
men inter mutationem essentialem et accidentalem; b) nulla esset certa cognitio, quia omnia in fluxu essent perpetuo; c) neque posset esse recognitio, quia revera nulla res maneret; d) neque posset esse memoria et identitas conscientiae, ut patet ex priore argumento; e) neque posset esse relatio moralis persistens inter parentes et filios, inter cives et magistratus; nulla esset obligatio constans leges obser-
vandi, nullum esset dominium stabile in res, nulla esset firma promissio, quia nihil idem remaneret et actus sibi sequentes essentialiter differunt. Periret igitur familia, societas, proprietas; iura et leges carerent fundamento. Atqui omnia haec absurdia sunt. Ergo existunt substantiae.

Thesis XXIV: Substantia certo et immediate a nobis cognosci potest.

(St. qu. 1º) Haec thesis praesertim est contra *Locke*, qui qualitatibus sensibilibus ab obiecto percepto detractis nihil iam reale superesse putat; deinde contra *Kantium*, qui quid phaenomenis

subsit, cognosci posse negat, et substantiam tanquam categoriam i. e. inanem formam mentis habet. *Günther* eiusque discipuli categoriam substantiae ex sola conscientia derivant.

2º Concedendum est, nos sensibus rationem substantiae non percipere, neque intellectum eam in se, i. e. intrinsecus intueri et perfecte cognoscere. Duplici autem modo substantia per intellectum cognoscitur: a) *immediate* in et cum qualitatibus sensibilibus; non enim color percipitur abstracto modo, sed *res* colorata ac proinde *substantia* colore affecta; b) *mediate* ex effectibus rerum; nam qualitas manifestat rem qualem et apparentia rem apparentem; neque potest quidquam effectum producere nisi existat; et si quid existit, substantia certe existit, ut in priore parte ostensum est. Nos hic ostendimus, substantias saltem aliquas *immediate* a nobis percipi; quo demonstrato patet, eam etiam *mediate* a nobis cognosci i. e. conclaudi posse. Cognoscimus tamen eam in et cum qualitatibus sensibilibus, quae sunt manifestationes ipsius substantiae. Non affirmamus, nos omnes substantias certo et *immediate* cognoscere, sed saltem multas.

Prob. 1. *Ad hominem:* Locke conedit qualitates sensibiles, Hume autem et *Kantius*, phaenomena certo et *immediate* cognosci posse. Atqui neque qualitates neque phaenomena certo cognosci possunt, nisi etiam *ens* quale et *ens* phaenomenon, i. e. apparen-
simil apprehendantur; neque enim qualitas sine re quali, neque apparentia sine re apparente esse vel concipi potest. Ergo substantia certo cognosci potest.

2. *Ex discriminine inter mutationem substantialem et accidentalem:* Omnes homines discernunt idque certo inter mutationem substantialem et accidentalem; profecto aliud est, aquam in oxygenium et hydrogenium dissolvi, aliud in glaciem vel vaporem mutari. Atqui differentia utriusque huius mutationis in eo est, ut prior substantiam aquae destruat novasque generet substantias prorsus diversas, altera autem substantiam aquae integrum relinquat, neque immutet nisi statum accidentalem. Ergo ratio substantiae certo a nobis cognoscitur.

3. *Ex experientia interna:* Constat testimonio conscientiae, nos non solum actus nostros internos percipere idque *immediate* et certo, sed simul nosmetipsos tanquam principium eorum et subiectum, et facile nos distinguere inter actum et principium: illum tanquam accidentem et praetereuntem, saepissime ut liberum et facile amovibilem apprehendimus; principium autem ipsum tanquam permanens et ad multos actus capax vel dispositum cognoscimus. Atqui haec cognitio est immediata et omnino certa; actus enim *immanentes* non possunt percipi nisi simul cum principio, in quo sunt. Ergo ratio